Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 127
Quelle:
Copyright:

loratis. Margines et Interlineare notulis adſperguntur, ut in *Paulinis*, quarum tamen hic non paucae *Theotiſcae*, ut in Epiſtola *Jacobi:* conceperit *ent fahit.* initium *furiſti herote.* acceptione *antfange.* exaltat *uberbarit* &c. et in his multae, ut videtur, cryptographicae. Ita in *ead.* Epiſtola: ad vocem *ſalutem* in marg. *vuplb quufdi.* ad vocem *perſonarum hercupmp.* ad vocem *Regalem riblkchb* &c. quibus extricandis immorari haud vacat. Codicem tamen vetuſtae linguae noſtrae Indagatoribus commendo. *Joh. I. c. 5.* teſtimonio coeleſti omiſſo terreſtre ſic legitur: *quia tres ſunt qui teſtimonium dant* (adjecit gloſſator *in terra*) *ſpiritus et aqua et ſanguis et tres unum ſunt.*

Exemplum hoc egregium utrinque ambiunt Membranae duae *hebraicae* decerptae ex Tractatu *Talmudico* ערובין ſeu *de Mixtionibus* ſat vetuſtae.

LVIII. VIII. D. 26.

237 Codex membraneus lat. Sec. XI. Folior. 160. f. manu *Mariani Scoti* celebris Chronographi, qui per vices Coenobia O. S. B. *Coloniae*, *Fuldae*, *Moguntiae*, *Ratisbonae* incoluit, et a. 1086. diem clauſit, elegantiſſime ſcriptus et rubricis diſtinctus continet D. *Pauli Apoſtoli Epiſtolas omnes* eodem ordine, quo in Bibliis hodie leguntur, niſi quod Epiſtolis ad *Coloſſ.* et *Theſſalonic.* interjecta ſit ſpuria illa ad *Laodiceenſes.* Hac porro excepta reliquae non tantum gloſſis inter lineas paſſim notatae ſunt, ſed ad margines plurimis PP. locis illuſtrantur, ſcilicet *Gregorii*, *Fulgentii*, *Caſſiani*, *Auguſtini*, *Hieronymi*, *Origenis*, *Haimonis*, *Leonis* et *Alcuini*, quibus accedunt *Liber Paſtoris*, *Petrus Diac.* *Ambroſiaſter* nunc in T. II. Edit. *Maur. Pariſ.* 1690. *append.* p. 21. rejectus, et *Pelagius*, cujus *Commentarii in Paulinas* leguntur T. XI. Opp. *Hieronymi* edit. *Vallarſ. Col.* 835. atque ita quidem, ut usque ad Epiſtolam ad *Coloſſ.* *Gregorius*, hinc vero usque ad finem *Pſeudambroſius* ille praevaleat. Loca haec PP. ſi cum ipſis eorum Operibus conferrentur, meliorem fortaſſis hinc inde lectionem ſubpeditarent. Jam vero Codici ſequentia praemittuntur: Primo *Incipit prologus hieronimi in epiſtolam ad romanos.* Habetur hic T. VI. *Biblior. gloſſat. Lugd.* 1545. *fol.* 2. ſed nobis haec praecedunt: *Romanos non dum uiderat apoſtolus. nec in eis ipſe. ut in ceteris primus fidei iacerat fundamentum. Sed aliis diſcipulis crediderant predicantibus* (gloſſa *barnabas et clemens* interjicit) *Ab apoſtolo indigent confirmari. Sic ipſe dicit. Deſidero enim uidere uos. ut aliquid impertiar uobis gratie ſpiritualis ad confirmandos uos. His ergo nunc ſcripſit. qui cum ex iudeis. et gentibus credidiſſent ſuperba contentione* &c. et deinceps ut in editis, ſed non ſine multa lectionis variatione. Secundo *Incipit Argumentum hieronimi in epiſtolam ad romanos.* Non invenio in *Hier.* Operibus niſi locum